Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31955563

TENTAMEN MEDICUM, INAUGURALE, DE RHEUMATISMO:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GEORGII CAMPBELL, SS. T. P.

ACADEMIÆ MARISCHALLANÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS FARQUHARSON, A. M.

BRITANNUS.

Ad diem 22. Septembris, hora locoque ſolitis.

ABERDONIÆ:

Ex Typis JAC. CHALMERS,

Civitatis Typographi.

M.DCC.LXXVIII.

322291

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Viro illuſtriſſimo

JACOBO FARQUHARSON

DE INVERCAULD,

Armigero,

MED. CHIR. SOC.
ABERDEEN.

Gentis ſuæ Principi,

Benevolentiâ,

Morum ſuavitate, vitæque probitate

Spectabili;

Hos primos in re medicâ labores,

Ut parvum, ſed ſincerum

Animi grati teſtimonium

Sacros eſſe vult

GULIELMUS FARQUHARSON.

Jonathan Tracy

Mr Mc Innes

from the

Author

TENTAMEN MEDICUM

DE

RHEUMATISMO.

RHEUMATISMI duas formas Medici notant; quarum unam Acutam et alteram Chronicam nominant. Et multi gravi viri, ut morbos diverſos, ex cauſis diſſimilibus orientes, has duas formas tractârunt. Chronicam autem Acuti ſequelam eſſe, nobis experientia et obſervatione conſtat. Nec, ad hanc ſententiam confirmandam, deeſt auctoritas, quippe cum medici clariſſimi Cullenus et Pringelius ejuſdem ſunt conſilii *.

De utroque igitur indiſcriminatim, in ſequentibus pagellis diſſerere decrevimus.

Cullenus celeberrimus, Rheumatiſmi definitionem in medium protulit ſequentem:

" Morbus ab externa et plerumque evi-
" dente cauſâ; Pyrexia; dolor circa articu-

 " los,

* Cullen. Prim. Lin. ccccxxviii. Pringle on the diſeaſes of the army, p. 161.

"los, muſculorum tractum ſequens, genua "et reliquas majores, potius quam pedum "vel manuum articulos, infeſtans."

Hic morbus aut antiquis ignotus, aut male ab iis deſcriptus fuit; licet enim vocabulum ῥευματισμος in illorum monumentis reperiatur, non tamen rheumatiſmo ſimile quicquam, ſed laxe perquam et minime definite, humorum profluvium ſignificabat.

Primus omnium Ballonius vocabulum definito ſenſu adhibuit; iſque rheumatiſmum ab arthritide, catarrho, et quibuſdam aliis affectibus ſat bene diſtinxit. Poſt eum celeber noſter Sydenhamus adeo accurate morbum deſcripſit, ut vix quicquam, quod adderent, poſterioribus reliquerit.

HISTORIA MORBI.

Rheumatiſmo futuro laſſitudo, horror, omniaque alia, febrium ſymptomata antecedunt. His capitis dolor, ſitis, anxietas, nauſea, inquietudo, calor, præſertim circa præcordia, et plerumque pulſus celer, et validus, et ſpirandi difficultas cito ſuccedunt.

His

His ſymptomatibus unum aut alterum diem moratis, humeros, genua, carpos aut talos, dolor acutus pulſatilis, infeſtat. Is plerumque febrem excipit; interdum autem eodem tempore cum hac incidit; paulatimque ſub noctem intenſior, lecti calore, aut artus motione increbeſcit. Hoc tempore ſæpe adeo ſævit, ut ſtraguli pondus intolerabili dolori, vel leviſſima lecti concuſſio, moleſtiæ ſit. Dolores alternatim ab altero ad alterum artum migrant. Et in aliquo loco paulo diutius morati, ruborem et tumorem excitant. Raro tamen ſuper unum aut alterum diem in eadem parte permanent. Alioque mutati raro in parte prius affectâ levamen relinquunt.

Febris ordinatis admodum acceſſionibus carere videtur, licet noctu exaſperentur dolores, ad proximum mane diem, quietem ægrotante adimentes, et in eodem habitu totam noctem permanere fere cogentes. Sævientibus doloribus aut creſcentibus, ſudores gelatinoſi raro cum dolorum aut aliorum ſymptomatum levamine erumpunt.

Urina plerumque colorata ſed cum ſedimento naturali eſt. Quæ cum largus toto corpore ſudor eſt, quieſcens turbida facta, furfuraceum aliquid ad imum vas dimittit. Sanguis hoc in morbo miſſus, et jam concretus pelliculâ coriaceâ plerumque contegitur. Tam initio quam toto morbi tempore, alvus plerúmque adſtricta eſt *.

Hæc hiſtoria acutam morbi formam ſolummodo ſpectat, chronica adhuc depingenda eſt.

Solutà febre, tumore et rubedine articulorum omnino ceſſatis, ſuperſtites ſæpe dolores ſunt, aut etiam accreſcunt. Articuli laborantes, perfrigidi et inflexibiles, plerumque areſcunt. Aliquando autem, dum per totum reliquum corpus ſudor largus et calidus, in partibus tamen affectis frigidus et gelatinoſus eſt.

Nocte aut mutato cœlo, et præſertim Euro flante, acerbiſſimis doloribus cruciatur ægrotus. Rheumatiſmus, chronicus, articulos, multis magniſque muſculis præcinctos, maxime infeſtat.

* Hactenus hiſtoria a diſputatione De Rheumatiſmo acuto, anno 1775, Edin. edita, ſumpta eſt; quia in eâ morbum bene deſcriptum cenſemus.

Diuturnitas morbi incerta eſt. Acutus a viginti circiter diebus ad triginta, chronicus diutiſſime permanet.

CAUSÆ REMOTÆ.

Rheumatiſmus hominibus ab ineunte pubertate ad ætatis annum trigeſimum quintum maximè incidit, et quamvis nulla ætas ejus periculo vacet, natu tamen teneros et confectos rariſſime aggreditur. Habitus ei maxime obnoxius eſt plenus et hæmorrhagicus, ideoque mulieres, quam viri ſæpius eo conflictantur. Item quietum vitæ genus ſequentes, luxui, crapulæ, et veneri dediti, omnique intemperantiæ generi inſervientes, ut et prioribus morbis præcipuè male curatis, et humorum profluviis immodicis debilitati, eidem reliquis magis opportuni ſunt. Profluvia etiam aut naturalia aut arte inducta, diuturnaque, plethoricum habitum dando morbum creant. Objectoſque frigori, dum mercurio, habitum inflammatorium accendente, curantur, morbus ille arripit *. In regionibus frigidis frequentior eſt quam in calidis; et præſertim in his ſolis ubi tempeſtatum

* Diſput. Inaug. 1775.

tatum mutationes e calore ad frigus, inſigniter ſubitæ et contrariæ ſunt. Autumno deſinente et vere incipiente, rarius autem mediâ hieme, et vix nunquam ſummâ æſtate incidit.

Ex his autem, frigus corpori nimis calefacto vel debilitato applicatum, cauſam remotam rheumatiſmi præcipuam eſſe conſtat.

CAUSA PROXIMA.

Remotis rheumatiſmi cauſis jam inveſtigatis, ad cauſam proximam nunc tendimus. E tantâ autem auctorum, qui de hac cauſa tractaverunt, turbâ, vix duos de illâ omnino inter ſe conſentientes, ſed claros viros in alias atque alias ſententias euntes, videmus.

Alii acrimoniam quamdam peculiarem, alii autem lentorem fluidorum, vaſculis partis affectæ obſtructionem præbentem, pro cauſâ rheumatiſmi proximâ in medium protulerunt.

Ex hiſtoriâ autem, e cauſis remotis et ex remediis hunc morbum curantibus, nullam acrimoniam adeſſe manifeſtum eſt; e contrario

trario magna ſæpe fluidis ineſt acrimonia, ubi nulla ſequitur febris, ut præcipuè patet a ſcorbuto.

Nec majoris auctoritatis eſt opinio eorum, qui lentorem incuſant, quoniam nullum experimentum talem lentorem monſtravit; contrarium autem ex methodo medendi manifeſtum eſt; ſiquidem morbus efficaciſſimè ſudore curatur, qui partes tenuiores ſanguinis diſſipat. Sed etſi obſtructio a lentore pendens adeſſet, tamen phœnomena hujuſce morbi, gignere non potuit; nam ab multâ experientiâ et obſervatione, obſtructionem ſimplicem, quiete vaſorum vicinorum non turbatâ, ſæpe adeſſe, conſtat. Hujuſque quotidiè exemplis plurimis verſamur; unum ſolum preferemus. Cum aneuriſmatis arteriæ ligantur, inflammatio major non oritur, quam vulnus, nullo vinculo adhibito, in partibus vicinis moveret.

Sed quamvis obſtructio ſola, ut hujuſce morbi cauſa primaria ſpectari non poteſt, nihilominus veriſimile eſt, obſtructionem levem, morbum plus minuſve comitare, ſed nunquam ullam vim exhiberi, donec prius inflammatio formetur.

Nunc

Nunc acrimonia et lentore ſepoſitis, alteram cauſam Rheumatiſmi nos proponere oportet. Cauſa remota rheumatiſmi præcipua, nempe frigus, vim aſtringentem et tonicam poſſidet; et hoc partibus corporis calefacti, et præſertim vaſculis articulorum, quia hæ minus teli celluloſi, quam membrorum partes intermediæ, habent, applicatum, vaſa earum extrema, antea fluidis nimus diſtenſa, conſtringit, et eodem tempore tonum vaſorum internorum valde auget; quæ impetum ſanguinis in partem auctum gignunt; et tranſitu ejus per vaſa conſtricta impedito, tumor, rubedo, dolor, partis pulſatio, aliaque rheumatiſmi ſymptomata, oriuntur. Ad hanc congeſtionem ſublevandam vis medicatrix naturæ ulterius impetum ſanguinis adauget, et ad hunc ſuſtinendum ſtadium frigidum exoritur, ſpaſmus formatur, Pyrexia, et diatheſis phlogiſtica per totum ſyſtema producitur.

Sed præterea in hoc morbo, fibras muſculares, rigiditate peculiari affectas, et igitur motum majore difficultate preſtantes obſervamus. Ex hoc quoque dolorum ab altero ad

ad alterum artum migrantium oritur cauſa*.

Rheumatiſmi acuti cauſâ proximâ jam inveſtigatâ, cauſam ſequelæ ejus primariam nunc explicabimus.

Ex phænomenis, ſed maxime e felici rheumatiſmi chronici curatione, patet, cauſam ejus proximam eſſe atoniam vaſcularum et fibrarum muſculorum partis affectæ; et eorum rigiditatem et contractionem quamdam ab atoniâ pendentem †.

Rheumatiſmus ab aliis inflammationibus differt, quia, reſolutione exceptâ, eaſdem terminationes non habet; quod nunc explicare conabimur, et in primis de ſuppuratione tractandum eſt.

Puri efformando, aliquantum glutinis neceſſarium eſt, ut Pringelii et Gaberi experimenta docent. In ligamentorum ſeu aponeuriſis tendineæ vaſculis morbum ſedere notavimus, quæ vaſa adeo minuta ſunt, ut ſatis glutinis non trajiciant, et adeo tenſâ membranâ cinguntur, ut effuſionem ſuppuratoriam haud recipiant.

Ex

* Cullen. Prim. Lin. ccccxxxvii. † Idem ccccl.

Ex his pariter argumentis facile apparebit, cur huic morbo nunquam finis gangrena ſit, quippe cum ad hanc quam ad ſuppurationem formandam majori effuſioni opus eſt.

Ex ſede Rheumatiſmi ſupra notatâ, hunc morbum nunquam in ſchirro terminare manifeſtum eſt, hi tumores enim in partibus parenchymatoſis et glanduloſis plerumque reperiuntur, quod a partibus affectis, fluidorum ſtagnationem facilius admittentibus, pendere videtur.

DIAGNOSIS.

Rheumatiſmus a doloribus ſyphiliticis, ſcorbuticis et ſuppuratoriis, vel per ſedes eorum vel per ſymptomata concomitantia dignoſcitur.

Alter tantummodo eſt morbus, cum quo confundi quæat, nempe arthritis. Diſcrimina igitur quæ duos morbos diſtinguunt, nos proponere oportet. Primumque ii morbi cauſis inter ſe diſtinguuntur. Rheumatiſmus enim ſemper a frigore, arthritis raro aut ab hoc aut ab aliâ quavis cauſâ externâ, originem ſuam trahit. 2. Rheu-

2. Rheumatiſmus majoribus oſſium juncturis, rariſſiime minoribus, et ſuperioribus ſæpius quam inferioribus inſidet. Arthritis autem minores et inferiores articulos, ſæpe unum, præcipue pedis pollicem, invadit. Rheumatiſmus rara uno articulo, minuſque articulis omnino continetur; utpote qui magis, quam arthritis muſculorum tractum ſequatur.

3. Arthritis plerumque hæreditaria, Rheumatiſmus non eſt.

4. Rheumatiſmus raro quemquam invadit, qui ætatis annum trigeſimum quintum attigerit; contra arthritis, ante annum quadrageſimum, id eſt, ipſius vitæ perfectum vigorem, vix quemquam aggreditur, niſi ubi exquiſitè hæreditaria eſt.

5. In arthritide nonnulla precedúnt debilitatis ſtomachi et primarum viarum ſigna, viz. anorexia, nauſea, vomitus, &c. quæ revera nunquam, niſi caſu, in Rheumatiſmi acceſſu obſervata ſunt.

6. Rheumatiſmus ſanguineum temperamentum, et igitur mulieres et eunuchos præcipuè aggreditur; Arthritis e contrario

non

non tam pure ſanguineum temperamentum ſed habitus plenos, corporibus magnis, craſſis et aſperis, ſexumque virilem, aut robuſtiores mulieres, quas viragines dicimus, et vix nunquam eunuchos exercet.

7. Arthritis, ſi ſemel in corpore ſedem occupaverit, vix per totius vitæ ſpatium ægrum relinquit; Rheumatiſmus quidem reverti poteſt, hoc autem neceſſariò non evenit, et, ſi fiat, a recenti aliquâ cauſâ excitatur.

8. Dolor rheumatiſmi plerumque minus fixus quam arthritidis, et minore cum levamine partis, quam reliquit, ſedem mutat. Arthritis locum mutans, ad reſpondentum articulum alterius lateris, ſed rheumatiſmus plerumque ad alterum extremum tranſit.

PROGNOSIS.

Rheumatiſmus dum externus, raro mortiferus eſt. Interdum autem ad caput, aut pulmones repulſus eſt, et paralyſim, apoplexiam, delirium, peripneumoniam et ſimilia inducit. Doloris remiſſio, partis laborantis tumoris deceſſus, anxietas, cordis palpitatio, interdum pulſus ordinis expers, debilis,

debilis et tenuis, omniaque ſymptomata, hujuſmodi viſcerum affectionibus magis conſueta, hunc ſtatum rerum indicant *. Habitus debiles et ſenectute fractos morbo aggredienti, artus laborantis anchyloſis aut paralyſis haud infrequentes fines ſunt; hoc autem junioribus et vigentibus vix nunquam accedit. Rheumatiſmus, ut ſupra monſtravimus, in aliarum phlegmaſiarum, fines, reſolutione exceptâ, nunquam deſinit. Ei raro judicatio evidentior eſt, plerumque enim paulatim decedit. Aliquando tamen, ſudor copioſus, ſalivatio, eruptiones variæ, et enim ſanguinis profluvia, morbi exitum expediunt.

METHODUS MEDENDI.

Indicationes curatoriæ ſunt,

Imo. Vaſorum, toto corpore, et in locis laborantibus, actionem auctam imminuere;

II. Spaſmum toto corpore aut partibus reſolvere;

III. Vim vitæ partis affectæ renovare.

* Diſſert. Inaug. anno 1775. ſupra relat.

Conſilio primo reſpondent, Adminiſtratio Antiphlogiſtica. Vænefectio. Cathartica. Refrigerantia.

Adminiſtratio Antiphlogiſtica *. Omnia irritamenta, quæ morbum augere quæant, amovere aut moderare docet regimen antiphlogiſticum. Et ex his, omnis calor externus, et quicquid calorem corporis internum auget, maxime vitandum eſt; an frigoris etiam uſus reſpondeat, non adhuc ab experientiâ ſatis conſtitutum eſt; ſed potius in frigoris partem inclinare debemus.

Irritamen a fæcibus in inteſtinis compactis ortum clyſteribus emollientibus removendum eſt.

Omnis cibus naturæ animalis, et liquores fermentati, vitandi ſunt: et in dictâ nihil permittendum eſt præter victum aceſcentem, refrigerantem, et naturæ vegetabilis. Hic quoque, quam fieri poteſt, parce adhibendus eſt. Potio ſit diluta et acida, ut limonada, ex aceto aut cremore tartari ſerum, toſto pane aqua, aut hordei decoctum cum ſucco limonum acidulatum. Et hæc ſæpius adhi-

* Cullen. Prim. Lin. cxxi. ad cxxvi.

adhibenda ſunt, ut removeatur ſitis, qui magnum irritamentum præbet.

In cauſâ proximâ hujuſce morbi tractandâ, fibras muſculares, rigiditate peculiari afſici diximus; igitur motum muſcularem quam maxime vitandum eſſe, exinde manifeſtum eſt. Denique lucis impreſſio, loquela et ſoni præcavendi et animi pathemata conſopienda ſunt.

Væneſectio. In omni inflammatione curandâ nihil æque prodeſt ac ſanguinis detractio; quæ vaſorum tenſionem imminet, quippe cum hæc tenſio ex quantitate fluidorum vaſis incluſâ oritur, igitur væneſectione factâ eam minorem deventuram manifeſte conſtat.

In Rheumatiſmo acuto medendo optimum eſſe remedium omnes conſentiunt medici.

Incipiente morbo, ubi pulſus duri et validi ſunt, ubi calor magnus, ubi febris vehemens ſæviuntque dolores ſummo uſui eſt. Magnâ plagâ celebranda, ut ſubita ſit detractio; nam ſex unciæ ſubito detractæ, duodecim tardius magis proſunt. De menſurâ nulla regula generalis eſt, ſed pro ætate corporis

vigore, ſexu, temperamento, priore conſuetudine, et ſymptomatibus urgentibus variari debet. Ut ego opinor, primo morbi die, viginti uncias, in homine adulto, unâ vice detrahi poſſunt. Proximo die libra, et quatuor intra ſpatium quatuor aut quinque dierum, tantum ſunt, quantum tuto adimi poſſunt.

Sed quamvis hoc remedium, diatheſi phlogiſtico removendo, efficaciſſimum eſt, tamen prudenter uti debet, quoniam magna mala, ut hydropa, phthiſin pulmonalem, formamque rheumatiſmi chronicam ſæpe inducit.

Symptomatibus febris generalis moderatis, ad congeſtionem ſanguinis in parte minuendam, dolorem, tumorem, et rubedinem ſublevandam, utilior erit ſanguinis detractio topica, ut in his verbis narrat illuſt. Pringelius: "But in the acute rheumatiſm, at-"tended with ſwelling of the joints, I pre-"ferred leeches to all other local remedies, "applying four or more upon that part of "the articulation, where the inflammation "and tumour were the greateſt. After the "leeches fell off, I let the blood ooze till it "ſtopped of itſelf. As the relief obtained

"was

"was conſiderable, and the loſs of blood "but ſmall, I made frequent repetitions: I "have ſometimes ſince in my private prac- "tice, ſucceſsfully ordered twelve leeches at "once for one patient, dividing them be- "tween two or more joints affected, re- "newing the application for three days "ſucceſſively, and afterwards uſing a ſmal- "ler number at longer intervals, as there "was occaſion. By this means, I am ſatis- "fied, that as I generally gave ſome imme- "diate eaſe, I likewiſe ſhortened the diſtem- "per, and ſaved a much greater quantity of "blood from the arm *."

Nec negligendæ ſunt cucurbitulæ, quæ congeſtionibus ſanguinis magnum præbent auxilium, ut teſtatur celeb. Cleghornius de Pleuritide et Peripneumoniâ; en ejus verba; "Nothing affords ſuch certain and imme- "diate relief, as the ſcarificator and cupping "glaſſes, in ſo much that among the many "trials I had of them, I do not remember a "ſingle inſtance, where they did not carry "off the complaint entirely, or mitigate it

* Diſeaſes of the army, page 159.

" conſiderably †." Hoc remedium æque efficax in rheumatiſmo ac in pleuritide erit.

Sed quamvis febris generalis fiat, tamen vænesectio topica, localem affectionem ſublevanda, probabiliter etiam tollet generalem febrem ab iſtâ inflammatione manifeſte pendentem.

Catbartica. Hæc in diatheſi phlogiſticâ ſubmovendâ, quam ſanguinis miſſio minore vi operantur. Sed in hoc morbo maximè vitanda ſunt, nam ſævientibus doloribus dejectiones crebræ difficillimè perferantur: igitur fæces, ut ſupra dicitur, clyſteribus emollientibus evacui debent. Ejuſdem operis ſunt fructus maturi acidiores, quorum præcipua ſunt aurantia, limones, et mala, quæ eodem tempore ſitim compeſcant; ſed prudenter adhibenda ſunt, ne diarrhæam gignant.

Refrigerantia, quæ ut ſedantia agunt, et igitur ad tonum vaſorum auctum diminuendum aptiſſima ſunt.

Ex his maximè proſunt acida bene diluta et ſales neutri. Ex acidis, vitriolicum et vege-

† Diſeaſes of Minorca, page 284.

vegetabile, quia in largioribus doſibus adhiberi poſſunt, præcipuè in uſu ſunt.

E ſalibus neutris, nitrum, refrigerandi cauſâ, maxime adminiſtratur. Sed ſales neutros, ex acidis vegetabilibus et alkali fixo aut volatili compoſitos, cæteris preſtantiores eſſe uſu compertum eſt.

Refrigerantia etiam, ut diuretica, diaphoretica, ſitim compeſcentia alvumque laxantia, hanc indicationem aptè implent.

Nunc de ſecundo conſilio tractandum eſt, nempe ſpaſmum toto corpore et in partibus reſolvere. Huic conveniunt, Balneum calidum. Diaphoretica. Emetica. Antiſpaſmodica. Epiſpaſtica.

Balneum calidum, ingrediente morbo non aptum eſt, ſiquidem plus ejus ſtimulus nocet quam vis laxativa prodeſt; nec non quod uſus ejuſdem frigori ægrotum objectat et difficillimè adminiſtratur, raro adhibetur. Sed diatheſi phlogiſticâ fracta; non improſpere partibus dolentibus applicantur fomenta. Quæ ſine ſtimulo aut irritatione relaxant, et ſine ullo incommodo tamdiu

ſervari quamdiu opus eſt, poſſunt. Ea autem ſpaſmum reſolvunt, ſomnum expediunt, perſpirationem ſuſtentant, calorem et dolorem ſublevant, tonumque vaſorum auctum imminuunt. Qui effectus, propter cuticulæ cum partibus ſubjectis conſenſum, cito toto corpore diffunduntur.

Diaphoretica. Poſt diatheſin phlogiſticam væneſectione fractam, nihil tam efficax eſt in hoc morbo quam diaphoretica. Cel. Medicus Clerk pater, urbe et noſocomio Edinenſi hoc remedium primum feliciter adminiſtravit; qui, ſudore viginte quatuor, aut quadraginta et octo horarum, calidis potionibus, veſtis copiâ, et ſalibus diaphoreticis excitato, rheumatiſmum ſæpe curavit. Sed diaphoretici prudenter uti oportet. Sudor, non ſtimulantibus nec inflammatoriis, et ſine calore externo aut corporis calore interno aucto, movendus eſt. Sudor jam eruptus, per viginti quatuor aut quadraginta octo horarum ſpatium, permanere debet; porro toto corpore diffundatur oportet; medicamentis eodem tempore alvum laxantibus excitandus; denique frigore corpori applicato non ſubito ſupprimendus eſt.

Sudor

Sudor moveri poteſt, balneo calido aut fomentis extremitatibus inferioribus applicatis; calidis potionibus, nempe aquâ, aromatico quodam, aut vino mixtâ; ſalibus neutris, ſed, emeticis opio conjunctis, tutiſſime et efficaciſſime excitatur. Et profecto hoc remedium, ſub formâ pulveris Doveriani, feliciter adhibetur. Optimum tempus hujus medicamenti dandi matutinum eſt; ſic enim favet vigilia ſudoris ſucceſſui qui in ſomno ſubſidere eoque ſiſti periclitatur. Æger veſtibus non degravandus eſt; tamen lanea ex toto adhibenda, laneâque ſubuculâ homo induendus eſt. Quandoquidem ut ſudor tamdiu continuatus, quamdiu neceſſarius, alteri pulveris doſi opus eſt. Poſt medicamentum acceptum potione abſtinendum, ne ipecacuanha, quæ pulveris Doveriani pars eſt, nauſeam excitet, et ita per vomitum remedium rejectum ſit.

Tartarum autem emeticum, laudano liquido conjunctum, omnibus aliis diaphoreticis præſtantiorem eſſe, poſt multa experimenta, in triennii praxi, compertus ſum. Minore calore, citiuſque ſudorem movet, et eodem tempore alvum certiſſime laxans, diaphoreſin effica-

efficaciorem et tutiorem reddit; nec in hoc remedio adhibendo neceſſarium eſt, ut æger laneâ induatur, quæ ſæpe calorem externum multum augens, omnia ſymptomata exaſperat, induſium tamen madidum mutari debet, quod ſubuculâ mundâ prius bene calefactâ, ſine ulla incommodo fieri poteſt. Hoc remedium in ſolutione dilutâ, per parva intervalla, parciſque doſibus, pro ætate, temperamento, ventriculi ſtatu, aliiſque, adhiberi debet; nec, opium tartaro emetico conjunctum, adhibere, etiam incipiente morbo, ullum periculum eſt. Poſt eruptum ſudorem hoc remedium ulterius adminiſtrare non opus eſt, ſed diaphoreſis ſpiritu Mindereri, potu diluenti miſto, tamdiu ſuſtinendus, quamdiu neceſſarium eſt. Sudor toto corpore, et preſertim pedibus diffundi debet, nam, cum communi perſpiratione nulla pars quam hæc magis connectitur. Sed quia, a corde remotiſſimi, interdum difficillime ſudant, igitur tali in re, impoſitis veſtis onere, lateribus calidis aut fomentis calefaciendi ſunt. Cum juſtum temporis ſpatium jam ſudatum, veſtis paulatim levanda eſt, ne, frigore corpus admoto, ſudor ſubito ſupprimatur. Si ſudor omnia ſymptomata augeat,

geat, ab illo deſiſtendum eſt; ſed hoc raro accidit, e contrario enim, væneſectione factâ, hoc remedium ritè applicatum, plerumque morbum ſublevat; ſi ſymptomata non ſatis ſublevaverit, renovandus eſt.

Omnes ſales neutri facultatem diaphoreticam poſſident, et præcipuè ſpiritus Mindereri, qui, ut ſupra monuimus, adminiſtratus, efficax eſt remedium. De cæteris ad ſupra dicta nihil adjiciendum videtur.

Aliquando poſt pulverem Doverianum aut Tartarum emeticum, decoctum lignorum et Sarſâparilla plurimùm laudantur, et celeb. noſter Monro, aliis ſudorificis fruſtra tentatis, his morbum ſublatum eſſe, teſtatur.

Emetica. Hæc potenter ad ſummum corpus humores propellunt; tamen in hoc morbo, ad plenum vomitum, ne hujus agitatio noxæ ſit, excitandum danda non ſunt. Sed exhibita iis portiunculis quæ ſudorum movent, optimi auxilii ſunt, de quo ſub capite diaphoreticorum jam tractavimus.

Antiſpaſmodica, quorum præcipua opium et camphora ſunt. In morbis inflammatoriis, ut ſyſtema nervoſum ſtimulans, opium

um nimis damnatur; profecto parcâ doſi exhibitum ſtimulat, largâ autem ſedat. Et in hoc morbo medendo emeticis conjunctum, potentiſſimum eſſe remedium, ſupra narravimus. Opiata etiam, ad acerbos dolores nocturnos conſopiendos et ad ſomnum expediendum, a Pringelio feliciter adminiſtrata fuerunt.

Camphora ad dolorem et tumorem tollendum ſæpe ſecundos effectus habet.

Epiſpaſtica. Hæc olim facultatem ſtimulantem tantum habere exiſtimabantur; et igitur in morbis inflammatoriis rariſſime exhibita fuerunt; ſed ex iis quæ ab auctoribus de hac re traduntur, et a noſtrâ obſervatione nobis concludere licet, epiſpaſtica eſſe antiſpaſmodica, quæ ſimul fluidorum impetum a partibus laborantibus avertunt; hac ratione ad congeſtionem topicam ſublevandam aptiſſima ſunt; et ad hoc conſilium implendum, a pluribus et preſertim a Joanne Pringelio Equite, feliciter adminiſtrabantur*.

* Diſeaſes of the army, page 159.

Sed ut huic diſſertatiunculæ finem imponamus, ad tertium conſilium nunc progrediamur, nempe,

Vim Vitæ partis affectæ renovare; huic indicationi conveniunt, Stimulantia, et Tonica, quæ aut Externa aut Interna ſunt.

Externa. Pars affecta, panno laneo *flannel* dicto, ut calor ejus ſuſtineatur, tegenda eſt. Calor extrinſecus admovendus, huic aptiſſime reſpondent thermæ de Bath aut Buxton, et ſimiles quæ in hoc morbo medendo felices effectus habent.

Frictio, aut ſcopulâ, anglice *fleſh bruſh*, ſedulo applicatâ, aut pannis laneis gummis urentibus fumigatis, ſæpe remedium potentiſſimum eſt, ut ego ipſe experientiâ teſtari poſſum.

Electricitas a pluribus multum laudatur.

Frigus, ſub formâ balnei frigidi aut aquæ frigidæ parti admotæ, ſæpe auxilium præbet. Hoc in loco notatu dignum eſt, frigus non ſolum poſſidere effectus ſtimulantes ſed etiam ſedantes, ſed cum in rheumatiſmo chronico ſedativa valde nocent, ſi, poſt balneum frigidum,

gidum, effectus generis ſedantis appareant, ab illo deſiſtendum eſt.

Acida, preſertim animalia, partibus affectis ſæpe feliciter admota ſunt; nec non decoctum fortiſſimum ſalis marini, anglicè *brine*, eodem modo adminiſtratum eſt.

Exercitium leve partibus ipſis applicatum, vel equitatio aut aliquis alius geſtationis modus in morbo ſublevando, et ſalutis reditum expediendo, potentiſſimus eſt.

Vænesectio generalis topica, cauterium, epiſpaſtica et fonticuli a nonnullis laudantur, ſed hæc remedia, acutæ quam chronicæ morbi formæ magis conveniunt.

Interna. Ex his præcipue in uſu eſt gummum guaiacum, quod a Pringelio, ut remedium potens, multùm laudatur. En ejus verba; "Between whiles I opened his body "with a draught of gum guaiacum diſſolved. "At that time I conſidered the guaiacum, as "others had done before me, as a ſpecific "purge in thoſe ſlow rheumatiſms; and "from later experience, I have had ſo "much reaſon to be confirmed in my fa-

vourable

" vourable opinion of its qualities, that I
" ſtill uſually preſcribe a draught of half a
" drachm of that ſubſtance diſſolved in the
" yolk of an egg, two ounces of water and
" ſome ſugar, to be taken every night at bed
" time, in order to procure two or three
" motions next day *".

Olea eſſentialia ex ſubſtantiis reſinoſis extracta, cum terebinthinum, in largis doſibus exhibita, ſæpe ſecundos effectus habent.

Calomelas aliaque mercurialia parcis doſibus et perdiu exhibita, ad morbum ſublevandum, auxilium præbent.

Alkali volatile, teſtibus Sydenhamo et Pringelio, remedium efficax eſt.

Cortex Peruvianus tonicâ et ſtimulante virtute abundat, et igitur ad hanc indicationem implendam et ad ſalutis reditum expediendum aptiſſimus eſt.

Superato morbo, ne redeat, ſedule cavendum eſt. Dietâ plerumque aceſcente, aut carnibus teneris convaleſcentem uti oportet; liquores omnes fermentati vitandi; et medicamenta

* Diſeaſes of the army, page 161.

camenta laxantia, conſtitutioni corporis convenientia, interdum adhibenda ſunt. Veſtis ſolitæ levior ſit. Nec negligenda eſt exercitatio; et ſubuculâ laneâ, vel materiâ xylinâ, æger induendus eſt, ut iis perſpiratio augeatur.

Hanc diſſertationem ad finem non prius perducere poſſum, quam præceptoribus meis, ob doctrinæ medicæ fructum, et in primis viro ornatiſſimo Georgio Skene, nemini in arte ſaluberrimâ ſecundo, omnique literarum genere ornato, meo in medicinæ tyrocinio præceptori pariter ac amico, nec non clariſſimo Culleno, qui de medicis, philoſophis, et omnibus tam bene meretur, gratias meritas perſolverim.

F I N I S.